

REINHARDI
BACHOVII

ECHTI, I. U. D. ET IN AC ADE-
mia Heidelbergensi ordinarii Professoris,

NOTÆ ET ANIMAD:

VERSIONES

AD DISPUTATIONES

HIERONYMI

TREUTLERICI.

es. de la lib. del Colegio de la Mag.^a ^{Nunc demum.}

In hac quarta Editione Confectariis, Additionibus ad singulas
disputationes ex jure theotico, practico, publico & militari, quæ tam à TREUTLERO
quam BACHOVIO prætermittæ fuerunt, adauctæ & à plu-
rimis mendis purgatæ.

Opus omnibus tam in Theoria, quam in Praxi versantibus utilissimum


Adjectus est Rerum notabilium & LL. Illustratum

I N D E X

VOLVM. I.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud WILHELMUM ET FRANCISC. METTERNICH, Bibliopp.
ANNO M. DC. LXXXVIII.



AD MODUM REVERENDO,
Prænobili, Clarissimo, Consultissimoque
Viro ac Domino,

D. WILHELMO
Kley ab Herweg

Juris utriusque Licentiato, Perinsignis Col-
legiatae S. S. Apostolorum Coloniensis Ecclesiae Ca-
nonico Capitulari dignissimo, inclytæque apud Ubios Fa-
cultatis juridicæ Professore ordinario, ac Dictatori Meritissi-
mo, Proto-Notario Apostolico, &c.

D. Fautori ac Mecænati colendissimo.

EXquisitum ac omnino utilissi-
mum solidæ Jurisprudentiæ ar-
gumentum in hisce *Bachovii No-*
tis & Animadversionibus contine-
ri, cum passim boni doctique affirmant
* 2 omnes,

DISPUTATIO I.
DE IUSTITIA
ET IVRE.

Respondente

M. ANDREA LUDOVICO SCHOPPERO
Onolsbægenſi Franco.

THESIS I.

LIT. A.



Us illud primum à jubendo) otiose hæc notatio repetitur *ib. 3. lit. C.* nec recte hic ad speciem accommodatur notatio toti generi communis, quam etiam ut calem proponunt *Curt 1 conjectur.*

1. Don. 1. commen. 4. & 5. & 2. commen. 1. Char. 1. Varis. 1. Est ea notatio partim Grammatica, unde apud Festum, Jura Jussa, quod antiquis litera R. non in usu: partim à re ipsa, quod cives secundum jus vivere jubentur, & princeps virtus legis est impetrare *argum. l. 7. de legib. de quo d. ib. 3. lit. C.* Cæterum cum tradatur Etymologia juris, non bene ut dist. adducitur Alciat. apud quem tamen toto paradox. operenihil tale.

LIT. B.

Non enim qui facit justd.) rectius, justa: quia justè agere Philoſophis notat actionem ex habitu vel dispositione fluentem.

Per metonimiam subjecti) ergo Justitiæ subjectum erit voluntas, & ita Aristoteles 5. Eth. apud quem etiam nihil ejusmodi, non rectè ad vocatur, ex cuius sententia omnes virtutes morales in parte animæ appetente. Stoicorum illa perhibetur opinio, itemque Thomæ & aliorum teste *Picol. gr. 4. Phil. Moral. 4. 11. Aristotel. 5. Eth. 1.* Justitia describitur habitus, secundum quem homines volunt & agunt justa: ex quo tam in voluntate tanquam in subjecto esse, minime consequitur: & fortasse Icti justitiam, quasi in actu aut prope actum definire voluerunt, quia habitus movet voluntatem, *¶ Ehem. 5. d. princ. 5. post Wafemb. in parat. hic.*

Cui in not. *ibid. Don. 1. commen. 16. & 2. commen. 1. Eleganter Cujacius*) Dicitur apud Gellium 17. c. 5. Liberalitas constantia perpetuæ benignitatis. Ubi utique benignitas non habet locum subjecti. Imitabor rectius, si dicam, constantia perpetuæ rectitudinis aut æqualitatis: quod alias hæc descriptio constantia perpetuæ voluntatis sit communis omnibus virtutibus.

Ex quibus apparet, nec inter.) consequentia rationem non video, quia licet explicato tropo, dicas esse voluntatis perpetuum & constantem habitum, eadem objectio manet, ejusmodi habitus hominem non esse capacem: quam nec evitare possis, nisi verbis illis pinguis acceptis cum *Ehemio 5. de princ. jur. 5.* ut intelligatur constans juxta conditionem humanam, in quantum est possibile *Bartol. in l. justitia h. 1. Angor. lob. Fab. post in princip. 1. h. 1. quam communem esse explanationem Dd. Jafon. in d. l. in fin. testis est.* Neque tamen, si proptiè accipias vitiosa erit definitio, quæ rem qualis essentia sua est, non ad conditionem subjecti, describit: quod familiare fuisse Aristoteli, notat *Flamin. 1. d. felie. 14.* quomodo ab Aristotele felicitas, à Platone Respubl. à Xenophon. princeps, à Cicrone orator, ab Onofand. Dux à Castilion. & Torquato Tasso & aliis politicis aulicus & legatus describuntur, & à Stoicis vir bonus & sapiens, quem ipse Seneca vix 500. annis ut phænicem semel apparere ait. Et si nulla virtus sola, sed ubi una in perfecto scilicet gradu, ibi omnes, quæ concordans Philosophorum sententia est, vis unquam verus virtutis alicuius habitus in homine erit. Scilicet, ut Cicero alibi loquitur, non vivitur cum perfectis & bene nobiscum a-

delictum quodammodo privatum factum esse videatur: maxime si pecuniam in casu homicidii, Mann oder Sohns geist exsolverit: quam statutum ipsi homicidio quadantenus irrogasse videatur. Jure autem civili intrepide respondendum est, ejusmodi transactionem pœnæ mitigandæ non facere quod ea scilicet non probetur, sed miserationis causa hætenus alteri reo ignoscatur, ut ne habeatur pro confesso. Sed Tr. distinctionem excutiamus, quia ille ex ratione juris interesse ait inter delicta graviora & leviora, ut in his demum propter initam transactionem mitiori pœnæ reus sit afficiendus. Atquin in his delictis ex ratione juris: cum transigere non liceat, neque transactionis ejusmodi ullus esse poterit effectus: in capitalibus autem huic distinctioni locus non est, siquidem ea, de his autem transigendi jus est, vel natura sua vel ex moribus aut legibus cujusque Reipubl. gravissima sunt. Et ideo non rectè exempli loco alteratur furtum, quod præsertim jure civili de quo se hoc loco agere profiteretur Treutletus, capitale non est. Probabilius distinguendum quis existimaverit, an ex delicto quoque civilis oriatur persecutio, nec ne. & an illo casu transigat extraneus aliquis an ipse cujus interest ut hic demum per transactionem soluta pecunia delicto ex parte satisfactum, eoque mitiganda videatur pœnæ: cæteroque rationi juris non convenit, ut transactio, quæ miserationis saltem intuitu excusatur, vel crimen concussionis & tergiversatoris secum trahit, vel ut reus pro confesso habeatur efficit, hunc effectum operetur.

LIT. E.

Proponitur hic regula negativa, cujus certa ratio est ex jure communi, quod delicta non sint obiectum habile transactionum vel pactioinum: adeoque cessante miserationis ratione ex l. d. bon. cor. succedit ratio juris communis, ut accusator quidem incidat in Turpillianum, reus autem habeatur pro confesso & convicto: quod rectè explicat Klock non ut statim ad carnificem rapiatur, sed ut gravissimo se ipsum oneret præjudicio; quod hic præsumptio juris sit, conscientia criminis adversarium corruptum esse: quando etiam Bald. notat in hoc l. colum. ultim. etiam post transactionem ampliori cognitione & sententia opus esse, quod autem addit Tr. hoc casu nec donandi causa pacisci licere intelligendum est de judicio excepto: cæterum

non dum institutam accusationem gratis remittere & omittere, nemini fraudi esse debet.

LIT. F.

Citra falsi accusationem.] Doctores communissime omnes verbum *citra* accipiunt exceptive præter: quod de crimine falsi liceat transigere: cujus sententiæ stipulationem habent, & non levis momenti autorem interpretum Græcum, qui in Ecloga Basilicor. titulo περί ἀλλόθων sententiam hujus leg. 18. transtulit in hæc verba quæ si cui forte ad rem facere videatur, ex manu scripto exemplari Bibliothecæ Palatinæ bona fide representamus ἐπί μὲ τῶνδε αἰμάτων ἔχει τὰς ταμίαις ἐγκλημάτων ἔστι δὲ αὐτῶν ἡλικίαι. χωρὶς τὸ τοῦ μηδὲ ἐμαυτοῦ ἐπὶ τῶν ἄλλων τῶν μὲ ἔχοντων ἢ ἐμαυτοῦ ταμῶναι: ἢ ἐπὶ τῶν ἀλλόθων, χωρὶς τὸ τοῦ ταμῶναι ἐγκλημάτων: & statim postea notis hujus exceptionis, quæ tamen revera petitionem præcipii continet, subjicitur ratio in hæc verba το γὰρ τῆς ἀναστροφῆς ἐγκλημα, εἰ μὴ ἔχει δὲ ἐμαυτοῦ τὰς ταμῶναι: ἢ ἐπὶ τῶν ἄλλων τῶν μὲ ἔχοντων. Mox brevior constitutionis subjicitur ἐπὶ μὲ τὰ δὲ αἰμάτων ἐπιφροσῆ τῶν ταμῶναι καλῶς ἀναστροφῆς πρὸς τὰς ἀσχετὰς ἐγκλημάτων ἢ ἢ ἔχει δὲ αἰμάτων τὰς ταμῶναι: ἐπὶ τῶν ἄλλων ἢ ἀλλόθων χωρὶς τὸ τοῦ ἀναστροφῆς ἐγκλημάτων. Ego tamen non obstante Græcorum autoritate cum Treutlero ab ista sententia secessionem facio, duabus præcipue de causis. I. Quod particula, *citra*, constans hæc significatio est in jure nostro, & in ipsis aliquando multis Dialectici responsis, quod demonstrat Klock pag. quarta capite 1. II. Quod exceptionis illius, nulla commoda & idonea affirmari potest ratio. Unam affert Accursius (quam sequitur Delrio pag. 4. ubi alias nec refutatione dignas commemorat. Quod cum accusatione falsi concurrere non solet civilis persecutio: sed ea communius probatur & revera nihil concludit, cum omnis actio a criminali, de qua hic quaeritur, plane sit diversa: & idem locum habeat in violentiæ & aliis & utique in privatis delictis, super quibus si criminaliter agatur transigi non posse receptum est. Altera ratio fuit ejusdem Hugonis de Fontana, quem refert & sequitur Cynus in l. 18. b. ff. quod crimem falsi cum sit turpissimum, quasi ex homine non hominem faciat. Sed & hæc ratio, licet in ea communius acquiescant Dd. hic, nullus est momenti: quia neque infamiz neque

ADDITIONES AD VOLUM. PRIUS

AD DISPVT. XXII.

Th. 1. l. B. & C. Cuiac. hic à se diversus, & aliter in observat. aliter in paratitl. loquitur.

Ead. th. lit. F. in pr. Nota quod contractus quasi, sæpe obscuram conventionem partium, & non raro fictam & ex lege introductam habent: & tacita conventio cujus hic memini, in casu repetitionis ex poenitentia, vix ac ne vix quidem apparet.

Th. 2. p. 407. verba, (non fuit in libero arbitrio) refero ad casum conditionis, ante quam non debuit Legi contractus satisfieri.

Th. ult. lit. G. sententiam Fabri de juramento in litem in actione furti non probat: quia alias longe in plus quam verum quadruplum fur condemnaretur, sed & ea actio non datur jure dominii ad restitutionem rei, Doctores tamen vulgò juramentum veritatis admittunt; de quo alibi tractatur.

AD DISPVT. XXIII.

Th. 1. lit. C. de actionibus quæ ex causa fracte pacis competunt, ex ipsa constitutione statuedum est.

Th. 2. lit. B. Non sumo hoc, quod actio ista arbitraria sit, quippè cum etiam pro re immobili datur, quæ per culpam vel moram deperdita dici non potest; vix enim est ut hic responderi possit, intelligi rem per contumaciam non restitui, & hoc quasi respectu pro deperdita haberi.

Th. 3. lit. F. Potest defendi Tr. contra Hottom, quod per ipsam commemorationem loci, satis hoc actor intelligatur committere arbitrio iudicis arg. §. plus autem 34. Inst. d. ult.

Th. 6. lit. B. in f. Bart. in l. ult. de eo quod certo loco col. ult. hæc distinctio est, an creditor recipiens sortem & protestans, expressè liberet solventem à sorte, ut tunc nihil operetur protestatio: an verò simpliciter acceperit sortem cum protestatione; quæ tum operetur ut non censeatur solvens liberatus ab ipsa sorte, sed petitio hujus remaneat propter interesse arg. l. 2. §. 7. eod. tit.

Pag. 453. in f. Hoc annoto quod virilia officia diversimodè possint accipi apud diversas gentes, ut quod uno in loco virile officium sit, alibi non sit, adeoque non per se tale sit, veluti tutela, quam e-

tiam matri & avia detulit Just. & ex sententia Platon. in prima republic. etiam foeminis magistratus deferuntur. Et ita fortassis post Scrum Velleian. intercedere pro virili penè officium habitum fuit: sicuti prætor postea demù, postulare foeminis inde eorum esse existimavit.

Pag. 454. lit. A. in pr. Utiq; comparatio illa ætatis & sexus incommoda est: cæterum possit hic esse sensus, quod sicut non simpliciter prohibentur intercedere mulieres, nec semper iis succurritur, ita nec semper minoribus succurratur.

Pag. 470. in pr. Non infiteor duriores esse explicationem ad l. 1. §. 22. depositi, sed vix occurrat alia: utique intelligendum fuerit depositum irregulare, & de hoc etiam explicanda N. 88. c. 1. Facit aliquid quod in d. §. 22. Marcellus cavillari videtur sententiam Juliani, qui exceptiones ibi propositas nunquam negasset, ut tanto probabilius sit, eum adducto exemplo diverso planè sequestri, Juliani sententiam reprehendere voluisse.

Pag. 477. Dico duobus illis casibus depositum esse, non quod substantia rei considerata, non possit etiam dici mutuum, sed quod istis casibus hætenus habeatur pro deposito, ut usurie actione depositi peti possint.

Pag. 512. Extraordinaria exequendi ratio contra contumacem per manum militarem, probatur etiã ex l. 1. §. 4. uti possideris l. 3. in pr. ne vis fiat ei &c.

Pag. 520. in f. lit. A. Verius fortassis videatur, quod ubi emtor satisdedit de pretio solvendo, dominium in eum transferatur: & fortassis minus rectè adducti sunt textus ex l. 12. §. ult. in f. l. 25. §. 1. de usufruct. quia loquuntur de servo fructuario emtore: quo casu in pendentem est, an res acquiratur fructuario an proprietario, prout ex hujus vel illius pecunia postea solvatur.

Pag. 546. Quod emphyteusis etiam consistat in ædibus, probatur ex Nov. 7. cap. 3. in pr.

§. 2. & Nov. 120. cap. 1. in pr. §. 3.

2. & cap. sexto.

* * *

* *

*

FINIS VOLUM. I.

